

**De corneis humani corporis excrescentiis adiecta cornu praeputialis
observatione : dissertatio inauguralis anatomico-chirurgica ... / auctor
Radulphus Fawsett Ainsworth.**

Contributors

Ainsworth, Ralph Fawsett, 1811-1890.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Form. Nietackianis, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uk3sdkzp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6

D E

**CORNEIS HUMANI CORPORIS EXCRESCEN-
TIS ADIECTA CORNU PRAEPUTIALIS
OBSERVATIONE.**

DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE X. M. MARTII A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR
RADULPHUS FAWSETT AINSWORTH
MANCUNIENSIS.

~~~~~

**OPPONENTIBUS:**  
A. SCHOLZ, MED. ET CHIR. DD.  
C. TAX, MED. ET CHIR. DD.  
H. VERSEN, MED. ET CHIR. CAND.

---

BEROLINI, FORMIS NIETACKIANIS.

5

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS  
530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610  
U.S.A. and Canada

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

U.S.A.

and Canada  
530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

U.S.A.

and Canada  
530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

U.S.A.

and Canada  
530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

U.S.A.

U.S.A.

and Canada  
530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

U.S.A.

and Canada  
530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

U.S.A.

530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

U.S.A.

and Canada  
530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

U.S.A.

530 N. Dearborn Street, Chicago, Ill. 60610

**PATRI DILECTISSIMO**

**PIO GRATOQUE ANIMO VENERANDO**

ORIENTALIS LIBRARI

**D. D. D.**

**FILIUS.**

---

## P R A E F A T I O.

---

**A**ccidit fere, ut qui primum, quod ipsi elucubrarint, publici juris sunt facturi, quid potissimum sibi argumenti sumant, non sine cura aliqua et sollicitudine circumspiciant. Quod, quum inauguralem hanc dissertationem meditarer, etiam gravius incidit in me et hospitem in his terris et longinque remotum ab eorum consuetudine, quorum auctoritate beneficioque artis medicae disciplinam inchoavi et percolui. Neque tamen omnino defuit consilium. Nam quum clinica, quae instituta sunt in nosocomio Caritatis, celebrarem, a Froriepio, viro doctissimo, medicinae doctore eodemque Prosectore res intellexi multas ibi asservari, quae diligentio rem aliquam investigationem desiderarent. Ille, qua est humanitate, operam sponsonderat suam. Itaque materiam quaerenti auctor mihi fuit, ut praeparatum et simulacrum, quod

ipse de corneis in glandis praeputio excrescentiis affabre confecerat, illustrarem. Eorum quoque copiam fecit, quae in praeparato illo, quum recens esset, observarat. Qua in re ita versatus sum, ut non solum Froriepii viri humanissimi observationes, quas de singulari genere illo instituerat, exhiberem cumque iis conjungerem, quae aut paria in hoc genere feruntur aut consimilia, verum etiam quae in totum hoc genus excrescentiarum inde effici posse videbantur, literis consignarem. Cujus disputationis haec est ratio.

## INTRODUCTIO.

Quaeritur in universum de natura et conditione telae corneae.

### CAP. I.

Enumerantur singula cornearum excrescentiarum genera.

### CAP. II.

Traditur exemplum excrescentiae in praeputio penis natae.

### CAP. III.

Disputatur de origine et ratione cornuum in cute nascentium.

---

---

## INTRODUCTIO.

---

**T**ela cornea ex earum est genere, quae et simpliciores in corpore inveniuntur, et, ut videtur, facillime gignuntur. Atque in humano quidem corpore ea comprehenduntur epidermis, unguis, crines. Quae res per totam vitam procreari pergunt in corporis superficie alienis materiis contacta. Videtur illa in hoc tantummodo nata esse, ut partes muniret subjacentes, ideoque nihil in ea vitae inest, nullus sensus, nulla movendi vis neque in corpore vivo neque in mortuo; nihil in se continet, quo ad suam ipsius generationem proficiat. Secernitur enim a vasculosis cutis partibus ipsaque nec cicatricem ducit, nec si quid alienum inferatur, vim praestat ullam, nec, quod in aliis fit corporis partibus, ita est comparata, ut aliquam ad se aut alendam aut sustentandam materiae elementorumque vicissitudinem patiat. Differt autem hoc potissimum tela cornea vivi a mortuo, quod in illo secernendo continuatur, in hoc generari desinit. Nascitur autem haec tela et in epidermide et in crinibus et in unguibus, ita ut loca vasculosa et in cute inveniantur et in membrana pituitaria, in quibus perpetuo secernitur massa cornea, quae natis jam telae corneae partibus intus adjuncta illas extrorsum agit. Omnis autem tela cornea ea videtur ratione crescere et augeri, ut exsudatio quaedam ex materia inde jam coagmentata in partes supremas cogatur. Quae exsudatio dum aequabiliter in eodem loco continuatur, massa cornea efformatur, coagmentis, quae secernuntur pariter atque consolidantur, subnascentibus. Haec massa formam sequitur ejus loci, ex quo secreta est. Eadem, ut est ex superficie per gradus in altum enata, rebus ab externa parte illatis et deteritur et minuitur.



Forma autem et magnitudo cornearum excrescentiarum, ut sunt genere diversae, has potissimum causas sequuntur:

- 1) superficiem formamque cutis vasculosae et secernentis;
- 2) vim et potestatem, qua superficies secernendo augetur, sive eam rationem, quae intercedit inter superficiem deminutionem et inter vim secernendi interiorem.

Ex loci forma, quae in cutis superficie aequabiliter descripta est, forma ducitur ejus massae, quae in epidermide tanquam laminae quaedam corneae secernendo cogitur. Ubi vero superficies angusta est et oblonga, ibi eandem servant formam coagmenta illa, quae aequabili quodam successione sese excipiunt et *ungues*, parietum instar, efficiunt. Ubi autem superficies cono est similis, fastigio quodam distincta, ex quo solo massa cornea tanquam per tabulas in partem externam agi potest, formam illa sequitur matricis cono similis et coagmenta massae corneae cylindriformia, h. e. *crines*, sive ubi superficies non solum fastigio illo partis coniformis tenetur, sed etiam per latera patet, *cornua* efficit. Ubi denique superficies illa est rotunda vel ovata vel alius cujusvis formae irregularis, massa cornea inde secreta et durescens in coagmenta porrigitur vel coniformia vel emboliformia, quae raro tantummodo fiunt ad normam, veluti in Rhinocerote, plerumque vero abnormia inveniuntur eaque aut excrescentiae corneae aut cornua cutanea nuncupari consuerunt. Magnam etiam vim in telae corneae formationes ratio habet secernendi ac potestas. Haec enim in cutis superficie minima est ideoque externa deminutione plane compensatur. Quo fit, ut in *epidermide* telae corneae coagmenta, ubi justa est conditio, non admodum crassa inveniuntur, nisi quis forte locus ad secretionem vehementius excitetur eoque efficiat, ut deminutio secretionem vincatur crassioraque massae corneae reddantur coagmenta. Itaque si locus secretionis aliqua impressione diutius lacessitur, *calli* nascuntur et *clavi*, et ubi nimium exstiterunt calli, *cornua* luxuriantur in calcibus et pedum plantis; sin partes singulae aut totius paene corporis superficies vi aliqua morbi irritantur, *ichthyosis* et illa oritur epidermidis degeneratio, qua aegroti illi »*porcupinemen*« conspicui sunt. Cum autem secretio in iis locis, quibus unguis et crines (et cornua in brutis) continentur, multo sit copiosior, quam in reliquis cutis partibus (quae res ex celeri eorum auctu apparet), inde jam ratio constat, cur unguis, crines et cornua multo crassiora telae corneae coagmenta praestent, quam epidermis. Consentaneum igitur est, matricem unguium, crinium et cornuum multo magis esse vasculosam, quam matricem epidermidis h. e. cutis superficiem sive rete quod dicitur Malpighii; sed hic quoque eae sunt partes vasculosiores, in quibus potissimum conteritur epidermis ideoque maxime necessarium est, ut detrita secretionem reintegrentur, veluti in manibus et pedibus, ubi sub crassiore epidermide multo etiam vasculosior invenitur cutis.

Jam vero si quae loca in cute leviter quidem sed continuo irritantur, ita ut in iis locis vel praecipue secretio transigatur, facile apparet, si secretio non ad graviolem inflammationem nec non ad formationem ulcerum et crustorum augeatur, sed solito vehementior tantummodo evadat in irritata cutis superficie, passim coagmenta telae corneae nasci crassiora, quae non solum supra conterminam epidermidis telam corneam aliquanto eminent tanquam excrescentiae corneae, verum etiam, quatenus continua cutis irritatio non normalis, ut in Rhinocerote, sed morbida est, majorem minoremve circa partes proximas sensualitatem continent.

Ex his quidem causis facile est conjectura, quid sit, quod ejusmodi excrescentiae corneae sive cornua cutanea maxime ex laesione aliqua inprimis autem ex contusione oriantur vel in eo potissimum cutis loco gignantur, cujus aut mutata sit aut morbosa vegetatio cum aucto vasculorum incremento, veluti in verrucis cutaneis aut in tenui aliqua cutis luxurie (nodulis) aut in cicatricibus aut in levioribus vulneribus, aut denique in cutis folliculis post reduntationem jam obturatis. \*)

Atque ita quidem factum est, ut saepissime jam corneae excrescentiae in cute observarentur; medici pariter ac medicae artis imperiti homines in hanc rem attendere consuerunt. Maxime autem mirum illud accidit, quod tales excrescentiae corneae in iis locis nascerentur, quae non crassiori cute et epidermide, sed ea, quae inter cutem et membranam pituitariam patet, tenetur cute transitoria, in qua, ubi conditio normalis est, vis telae corneae mirum quam exigua est. Huc pertinet id cornuum genus, quod in glande membri virilis nascitur. Cujus generis hucdum sex modo exempla vel descripta vel commemorata sunt, quibus jam septimum hoc addituri sumus et explicaturi.

---

\*) Falsam fuisse eorum opinionem, qui tunicis serosis aut fibrosis cornua exstitisse rati sunt, recte jamjam evicerunt Meckel (Pathol. Anatom. tom. 2. b. p. 283) et Breschet (Dict. de Méd. 2. Edit. tom. IX, Art. Cornées productions p. 113. et 116).

---

---

## CAPUT. I.

ENUMERANTUR PLERAQUE OMNIA CORNEARUM EXCRESCENTIARUM, QUAE  
HUCDUM OBSERVATA SUNT, EXEMPLA.

---

**C**orneae excrescentiae originem, quemadmodum supra dictum est, ex iniqua ducunt ratione, quae intercedit secretionem per summam cutem et inter deminutionem secretorum. Ad formam earum maxime faciunt ea loca, quorum secretio internis externisve irritamentis adaugetur. Eorum igitur exemplorum, quae aut omnino publice edita sunt, aut mihi certe innotuerunt \*) quatuor statuimus genera, quae forma tantum et sede, neque vero ipsa natura et ingenio inter se differunt.

I. Primo loco id ponimus genus, quod non accuratius circumscriptum per ampliores superficiei partes dissipatur. Haec autem est *luxuries cornea*. Quod genus partim simplici callo est cognatum, partim verrucae, quocirca rursus bifariam dividitur.

a) *Efficitur impetu aliquo sive impressione*, ut ex ipso callo tabulae quaedam corneae proficiscantur semidigitalis crassitudinis, in quibus primaria illa coagmenta non parallela summae cuti feruntur, sed multiplici directione introrsum diffissa, ita ut saepe tanquam crystallisatione quadam cogi, vel potius rimosam basaltis naturam quodammodo videantur imitari, siquidem circa imam partem minus sunt frequentes fissurae illae, quam in superficie. Neque tamen necessario hae fissurae sive sponte sua ad perpendicu-

---

\*) Praeterea etiam plura afferuntur in *Ploucqueti* bibliotheca medico-practica et chirurgica, art. Cornu hominum.

lum petunt summam cutim, sed ex causis adventitiis. Namque Cel. *Froriepius* usu microscopii modica jam ratione amplificantis (id quod multo etiam luculentius apparet microscopio ducentuplici ratione rem amplificante) evicit, cornea illa coagmenta circa imam partem summae cuti parallela ferri. Frequentissime invenitur haec massa in calcibus pedum circa eundem fere locum, quo tendo Achillis calcaneo inseritur, ubi agitata inter eundem calx maxime calceamentis premitur, ideoque in operariis potissimum calli praestantur saepissime duabus tribusve lineis supra cutem summam prominentes. Quam rem non raro observari licet. Idem genus, *Aliberto* auctore (Monographie des dermatoses ou Précis théorique et pratique des maladies de la peau. Second. Edit. Paris 1835. Tome II. p. 686) reperitur in iis hominibus, qui crebro genua flectunt, illis incumbunt eoque statu diutius perseverant.

Simili modo in plantis pedum et in palmis nascuntur. In quibus tamen locis si proveniunt, par est, antea jam cutem vi aliqua morbi lacessitam fuisse. Hujusmodi est Praeparatum, quod in hoc regio Museo anatomico Berolinensi servatur, factum de muliere, quae herpete furfuraceo laborarat, cujus in planta pedis corneae excrescentiae vel ad octo linearum crassitudinem natae fuerant.

Ejusdem sunt generis illae in plantis pedum palmisque natura jam ingenitae excrescentiae corneae, quas memoravit *Ernst* in dissert. de corneis humani corporis excrescentiis. Berol. 1819. c. tabb. 2. Praeterea multa huc pertinentia exempla leguntur in Halleri Elementis physiologiae Tom. V. lib. XII. Sect. I. p. 16, 58 etc.

Ad hanc luxuriam corneam, quae mechanica aliqua irritatione excitatur, etiam referuntur claviculi tuberosi (Knollnägel) non raro illi quidem obvii, qui tamen hoc loco, ubi de iis potissimum quaerimus corneis excrescentiis, quae in summa cute gignuntur, omittendi sunt. Transeundum igitur est ad eam speciem, quae

b) *omnino quibusdam dyscrasiae irritamentis efficitur*. Quae eo potissimum est insignis, quod itidem singula quidem loca per superficiem crassa substantia cornea eaque subinde multifariam fissa obducitur, sed ita tamen, ut degeneratio quaedam cutis, quam aliquando aut dolor sequitur aut levior sanguinis jactura, simul adjuncta sit. Atque hac quidem specie eae comprehenduntur excrescentiae tuberosae, quae per summas manuum pedumve et per alias corporis partes sequuntur verrucas cum dolore conjunctae; quae est ichthyosis cornea tuberosa. Confer in hanc rem:

*Dr. Abrah. Haskel*. New-England Journal of Medic. and Surgery Vol. VIII. No. 1. Boston 1819. — Idem in ephem. med. chirurg. Salzburg. 1820. 11. 38.

*Dr. Ash* simile exemplum exposuit in Philosophical Transactions of the Royal Society No. 176.

*Musaeus et Francus a Frankenu.* Dissert. de unguibus monstruosis et cornuum productione in puella cornigera. Hafn. 1716. — Puellam fuisse viginti annos natam, quae non solum unguibus tuberosis laborarit, sed etiam tabulas corneas in cubitis et humeris et genibus collegerit.

*Locke.* Philosophical Transactions N. 230. — Virum juvenem commemorat variolas perpeßum in summis digitis corneas excrescentias, itemque in aliis corporis partibus, maxime vero in manus dorso crassiorem luxuriam corneam concepisse.

*Richter.* Loders Journal für Chirurgie. Bd. I. p. 441. Ejusdem modi posuit exemplum, quod eruptionis verrucariae ex materia arthritica ortae nomine insigniri voluit.

*Dr. Behrends* et observavit et descripsit ejusdem generis exemplum. Cf. *Lorentii Ruffii* descriptiones et tabulas excrescentiarum tuberosarum in manibus et pedibus enatarum, quae post Berendsii obitum a viro doctissimo *Dr. W. Sömmèring* editae sunt. fol. c. V. tabb. Francof. a. M. 1825.

*Cruveilhier* secundum Bèclardi Praeparatum tuberosae in manibus luxuriei insigne edidit exemplum in libro suo splendidissimo, qui inscriptus est: Anatomie pathologique du corps humain. Fasc. VII.

*Breschet* ejusdem generis exemplum prodidit ex Collectionibus Facultatis medicae Parisiensis, ex quo apparet, in manibus pedibusque vetulae cujusdam mulieris crassiores tabulas corneas exstitisse. — Dict. de med. 2. edit. Tome IX. Art. Cornées productions.

Eodem pertinent varia genera illa ichthyosis corneae spinosae, ex qua laborantes proprie vocantur *porcupinemen* (homme-herisson, homme-porc-epic, Stachelschweinmenschen.)

*Machin* (Philos. Transact. No. 173, 424) et *Baker* (ibid. 1755) auctores sunt, parentem ejusmodi stirpis exstitisse *Eduardum Lambertum*; ejus enim filios *Joannem* et *Richardum* ex isto epidermidis morbo laborasse, eosque per totam fere Europam statuto pretio spectandos circumduci solitos esse. Quorum exemplum complures exhibuerunt, inprimis autem *George Edwards* (Gleanings of natural history. Lond. 1750. p. 212.).

*Tilesius:* Ausführliche Beschreibung und Abbildung der beiden sogenannten Stachelschweinmenschen aus der bekannten englischen Familie *Lambert* oder the porcupinemen. Altenburg 1820. fol. maj.

*Buniva.* Memoires de Turin 1809 — 1810. Particularités les plus remarquables de deux *corn-ecailleux* anglais, nommés *Jean* et *Richard Lambert*, observés

à Turin en 1809 par le professeur *Buniva*). Simile exemplum dedit *P. J. Martin* in *Medico-chirurgical Transactions* Vol. IX. pars 1. p. 52.

Non absimile quamquam minus amplum Dr. *Mansfeldt* exhibuit de puello trimo et semestri in *Hornii: Archiv für medic. Erfahrung* 1823 Jul. Aug. addita tabula.

Neque debet huc non referri licet paullo diversum, quod *Alibertus* palam prodidit in *Monographie des Dermatosen* 2. édit. Paris 1835. Part. II. p. 538. Feminam fuisse quandam conjugii expertem, in cujus ventre, regione pubis et in summis imisque artubus corneae excrescentiae calcaris instar gallinacei redundarint.

His, quae citavimus, exemplis consimilia literis jam consignavit *Stalpart van der Wiel* in *Obs. rar.* Cent. II. obs. 35, et *Fabricius Hildanus*, Cent. II. obs. 261: historia admiranda de puella cornuta.

II. Sequitur alterum genus, quod in certis corporum locis conspicitur ab omni parte finitum. Ea sunt *cornua*. Quorum plane aliena est natura et indoles in cute nascentium. Haec dum formam sequuntur et magnitudinem summae cutis secernentis, aut formam metulae aut cornu imitantur. In universum autem hoc sunt conspicua, quod aliquis in cute locus isque vi morbosa irritatus ac praeterea omnino circumscriptus corneis obducitur coagmentis, quae per crebras ordinum vices continuo secernuntur sensimque in altitudinem satis magnam porriguntur. Aut enim normalis aliqua cutis pars irritatur aut antea jam degenerata, aut amplior folliculus adiposus, aut denique pars cutis redintegrata, h. e. cicatrix.

a) *Primum igitur quaerendum videtur de cornibus, quae in cutis partibus vasculosis aut normalibus aut jam morbois oriuntur.* Hac specie tum illa continentur cornua, quae vel ictu, vel vulneratione, vel ustione in ipsa cute normali et praecipue in editioribus corporis partibus generantur, tum ea, quae in illis existunt locis cutaneis, quae antea sive affectiones inflammatoriae, sive pustulae, sive noduli cutanei tenuerunt. Quo in genere quum multi multa observarint, hos potissimum exhibebimus.

*Borellus.* Cent. I. Obs. 14: Cornu in facie. Cent. IV. Obs. 52: Cornu in pede.

*Lachmund.* Misc. Acad. Nat. Cur. Dec. III. An. III. App. p. 109. qui cornu in pede a se observatum esse testatur.

*König.* Misc. Acad. Nat. Cur. Dec. II. An. 10. p. 208. Testis est, in pollice, ungue exciso, cornu esse natum.

*Dolaeus.* Epist. p. 216: Cornua in apicibus manuum pedumque.

*Fabricius Hildanus.* Cent. II. Obs. 25: Cornua per totum corpus.

*Riverius.* Obs. communic. p. 682: Cornua in facie.

**Boerhaave.** De morbis nervorum I. Qui cornua circa articulos nascentia sero lactis cum radice graminis sustulit.

**Denis.** Mémoires concernant les arts et les scienc. Par. 1672: Cornu ad genu.

**Rocheport.** Mém. de l'acad. de Chir. T. III. Hist. p. 7. cornu in lumbo.

Histoire de l'acad. Roy. des sciences. à Paris 1772. p. 25. Cornua ad nasum.

**Rigal.** Dict. des scienc. méd. Tom. IV. p. 251: circa sternum et tuber ischii.

**Giovanni de Muralto.** Piccinelli sull' origine e cura di quelle escrescenze impropriamente chiamate corna umane. Bergamo 1816, p. 8. Mulierem quandam parentem in dextero humero cornu ingenitum habuisse quatuor digitos longum, itemque alterum liberorum in dextra capitis parte, alterum vero in medio pectore simili cornu fuisse praeditum, refert.

**Marc. Ferussac.** Bullet. des scienc. méd. T. XXII. p. 475. In facie et manibus mulieris cujusdam, quae apoplexiam sustinuerat, magnam vim cornearum verrucarum viderat.

**Otto.** Seltene Beobachtungen. Heft I. p. 104. Mulierem in manus dorso cornu habuisse digitos duos longum, et crassitudinis digitalis, idemque cylindraceum et aduncum, refert.

**Dublanc.** Ferussac. Bulletin des scienc. médic. Tom. XXIII. p. 3. Tria notavit cornua, quorum unum in viri cujusdam humero fuerit collocatum prorsus inflexum, reliqua in ejusdem hominis nepote, eaque in sura et pone trochanterem majorem.

**Breschet.** Dict. de méd. 2me édit. Tom. IX. Art. Cornées productions: Memoriae is prodidit, mulieri vetulae accidisse, ut in fronte ipsius ictu laesa cornu nasceretur quinque digitos longum, ejusque caput male redoluisse. Quod exemplum **Cloquet** diligentius descripsisse fertur et publici juris fecisse.

**R. Froriep** in tabul. suis chirurgicis, fasc. 64. tab. 323 et 324 cornu descripsit et illustravit, quod in dextra mala mulieris triginta annos natae, quae psoriasi inveterata laboravit, natum post sex hebdomades sponte excidit.

b) *Sequuntur cornua, quae ex irritata planitie folliculi sebacei obturati interna oriuntur.*

Neque haec ita sunt rara. Quae et ipsa interdum vel ictu vel simili eduntur. In quo par est, quendam folliculi tumorem sive atheroma antecessisse. Cujus tumoris ortum praecipue ab **A. Coopero** observatum primus exposuit **Everardus Home**, qui tamen in ea re nimius exstitit, quippe statuens, omnia pariter eadem hac ratione cornua nasci.

**Fabric. Hildanus.** Obs. med. chir. Cent. II. 26. Cornua in fronte.

**Bartholin.** Hist. rar. anat. Cent. I. hist. 78. p. 128. — Mulierem vidit, quae

in dextra capitis parte cornu adepta erat duodecim digitos longum cornu caprini similitudinem referens.

*Managetta.* Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Dec. I. An. I. Obs. 30. Memorat ille virum quendam post febrim in imo vertice dorsali tumorem accepisse nucis magnitudine, ex quo decennio post cornu prodierit.

*Lanzoni.* Misc. Acad. Nat. Dec. III. An. IV. p. 152. De coruu in pueri fronte enato mentionem facit.

*Detharding.* Ibid Dec. III. An. V. Append. p. 148. Feminam refert complures in capite tumores collegisse, ex quorum uno aliquo cornu creverit.

*Vesling.* Bartholini hist. anat. Cent. V. hist. 27. Nonnae cuidam sexagenariae cornu, quod articulum digitalem aequaret, ex sinistra frontis parte se excidisse fatetur; id postea denuo erupisse quidem, attamen ferro candente excisum esse.

*Gastellier.* Mém. de la Soc. de méd. 1776 p. 312. Notavit mulierem sexaginta tres annos natam in imo osse temporis sinistri tumorem concepisse, qui paullatim auctus unguis rationem et conditionem exhibuerit. Qui saepius serra resecatus denuo crescere perrexit. In quo illud memorabile est, quod priores excrescentiae durissimae ac plane rotundae, secundae autem minus densae nec item perfectae comparuerunt. Praeterea illa plures in capite folliculos tuberosos gestavit.

*Lée.* Natural history of Lancashire and Cheshire. Ibi, auctore *Home*, relatum legitur, anno 1668 in Cheshire anum vixisse septuaginta duo annos natam, quae per triginta duos annos cysticum tumorem in capite habuerit, ex quo duo cornua nata sint. Idem exemplum commemoratum est in *Minutes of the Royal Society. Februar 1704.* Ibidem Dr. *Gregory* tradidit, in mulieris cujusdam Edinensis temporibus cornu exstitisse septem digitorum; item Dr. *Charière* testatur simile in muliere quadam supra colli vertebrae secundam fuisse excisum; ibidem Dr. *Norris* cornuum duorum ex capitis superficie excretorum mentionem facit.

*Home.* Mentionem facit cornu undecim digitorum in Museo Britannico servati, quod de capite mulieris quinquaginta annos natae tumore cystico quadriennio laborantis exstiterit. Philos. Transact. Vol. LXXVI. 1791. Part. I. p. 100.

*Home* l. c. p. 96 et 98 haec duo exempla memoriae prodidit. Mulier, inquit, quadraginta duos annos nata quinquennio tumorem cysticum in sinistra capitis parte conceperat aequantem ovi gallinacei magnitudinem, qui ruptus crassum et arenosum humorem profudit atque subrubrum apicem egit, qui paullatim corneam induens naturam post biennium diffractus est, cujus loco alterum excrevit cornu. Praeterea in illius occipitis sensim tria alia cornua erant nata nec non duplex tumor cysticus. Altera erat mulier me-



diae aetatis, quae sub ipsa galea capitis tumorem cysticum conceperat aequantem ovi gallinacei magnitudinem, ex quo rupto cornu quinque digitorum prodiit.

*Parkinson.* Mem. of the Lond. Soc. Vol. IV. p. 391. — Vidit in muliere inter verticem et dextram aurem ex tumore folliculoso s. cystico corneam exstitisse excrescentiam.

*Cabrol.* Obs. anat. XI. cf. *Meckel* path. Anat. — Cornu ille de alicujus viri fronte a se sublatum esse testatur.

*Dupré.* Philos. Transact. No. 251. Excrescentiae corneae ex calvaria.

*Lambert.* Commentaires et oeuvres chirurgiques II. vid. *Halleri* Biblioth. Chir. I. p. 315. Notavit cornu ex tumore capitis prorumpens.

*Majorat.* In Gazette salutare de Bouillon 1788, secundum *Hufelandi* annales medicinae extraneae Fasc. I. p. 447. No. 109. — Ille in muliere septuagenaria ex antica capitis parte cornu vidit natum in tres ramulos diffissum.

*Ansiaux* in libro suo, qui inscriptus est clinique chirurgicale, simile cornu in fronte descripsit.

*Piccinelli.* Sull' origine e cura di quelle escrescenze impropriamente chiamate corna umane. Bergamo 1816. p. 24. 59. — Duo exposuit exempla cornearum ex tumore cystico capitis excrescentiarum.

*Alibert.* Dict. des Scienc. méd. Tom. IV. p. 251 et Monographie des Dermatoses 2de edit. Paris 1835. Tom. II. p. 778. Mendici alicujus in occipitio duo ejusmodi cornua observavit.

*Caldani.* Memorie della Società italiana, Tom. XVI. Part. II. Verona 1813 p. 12V. Cornu descripsit, quod in muliere quadraginta quatuor annos nata duodecim annis ante ex tumore cystico de ictu, quem inter vehendum capite tulerat, excreverit et facta extirpatione denuo natum sit.

Duo exempla consimilia in calvariae superficie vidit et descripsit Sir *Astley Cooper* in Surgical Essays by *A. Cooper* and *B. Travers*. Part. II. pl. VIII. fig. 8 et 9.

*Bertrand.* Archives général. de méd. 1824 Aout. Similis in capite cornu observationem literis tradidit.

In Medical Repository of New York 1819 Vol. V. per magnum cornu capitis bisulcum legitur descriptum.

*Otto.* Pathol. Anatomie Vol. I. p. III. Tria refert exempla similia ex collectionibus virorum dd. *Ch. Bell* et *A. Cooper* et ex Museo Ashmoleano Oxon.

*Ploennies* in *Froriepü* commentariis Notizen nuncupatis Vol. VII. 1824 No. 135 descriptiones cornuum edidit in anu septuagenaria conjugii experte natorum. Anno aetatis sexagesimo primo illa complures tumores cysticos et excrescens fungosum in pi-

losis capitis partibus conceperat. Unus ex tumoribus illis cysticis, qui in suprema fronte erat, forte laesus ac deinde dissectus et unguentis irritantibus curatus fuit; quo facto vehementiores dolores sensimque excrescens corneum nascebatur, quod anno secundo ad digitos duos cum dimidio auctum postea quotannis tempore verno sponte excidit.

*Pensa* (cf. *Froriep*. Comment. Vol. XVI. 1826. No. 6) homini septuaginta quinque annos nato in verticis loco, quo ante viginti quinque annos tumorem sustulerat cysticum, cornu extirpavit. In quo duobus mensibus postea, postquam cornu istic denuo comparuerat, tumor cysticus in cervicibus nascebatur. *Pensa* ibidem adumbravit dimidium cornu, quod homo octogenarius in dorso habuerat.

c) *Cornua, quae cicatricum recentium irritatione oriuntur.*

Quemadmodum superiora genera illa aut rotundam aut coniformem sive cornu similem figuram praestant, sic eae excrescentiae corneae, quae ex cutis locis chronica inflammatione insignibus et ex cicatricibus irritatis nascuntur, varias ac diversas formas induunt ex similitudine ejus loci vel cicatricis, unde natae sunt. Atque imprimis in cicatricibus amplioribus iisque ustione factis coagmenta inveniuntur cornea plusculum superficiei corporis occupantia; in cicatricibus adstrictioribus et oblongis praestantur cornua aut clavicali aut unguis similitudinem referentia; in cicatricibus autem rotundis cornua crescuntur plane rotunda.

*Benedictus* (cf. *Zacutus Lusitanus* de medicor. princip. Hist. lib. II. hist. 4) magnum vidit corneum excrescens ex vulnere sagitta facto enascens.

*Fabricius Hildanus*. Obs. medic. chir. Cent. II. obs. 25. Testatur ex mento viri cornu prodiisse semipedalem longitudinem et pollicis crassitudinem aequans.

*Sæverinus*. De recond. abscess. nat. lib. IV. c. 25. Ex abscessibus cornua esse generata retulit, quae forsitan ad cornua e tumoribus cysticis prorumpentia referre malueris.

*Bauhin*. *Bartholini* Hist. anat. Cent. V. — In homine animadvertit dextro verticis osse contuso primum substantiam fluidam, deinde ex illa cornu arietinum excrevisse.

*Vicq d'Azyr*. Mém. de la Soc. de Méd. 1780. p. 494. In aliquo notavit circa dextram temporum partem ex arcus zygomatici regione cornu tres digitos longum et in basi unum digitum crassum idemque acuminatum. Natum erat illud vulneratione cultri tonsorii saepius repetita, ex qua primum corpusculum durum et vasculosum erat ortum.

*Plenk*. Doctrina de morbis cutaneis. Viennae 1776. p. 115 nota. Homini, inquit, cuidam juvenili aetate accidit, ut unguem sinistri auricularis ictu amitteret, ex qua cicatrice deinceps crassa longiorque ungula nata erat. —

In Journal de Med. Tom. XIV p. 180 relatam legitur, in Creta usu venisse, ut alicui ex genu sagitta vulnerato nigrum cornu gigneretur.

*Piccinellio* auctore (Sull' origine e cura di quelle escrescenze 6. p. 18) Cardinalis de Medici animadvertit magnum cornu ex vulnere cruris male curato prodiisse.

*Cruveilhier*. Anatomie pathologique du corps humain. Fasc. VII. Profitetur mulierem a se curatam esse in nosocomio Parisiensi, quae in interiore cruris parte sex corneas tulerit excrescentias coniformes ex repetita bacilli carbonarii adustione natas easque gravioris doloris participes.

*J. Cloquet* mulieri cuidam ingens cornu, quod illa ex aliqua frontis adustione foedo subsequente effluvio conceperat, extirpavit, idemque (Bulletin des scienc. méd. Tome XXII. p. 475) notavit, cornu illud in basi cartilagosum fuisse, eamque massam cartilaginosam subinde evasisse siccam, indeque illud cornu dejectum denuo fuisse generatum.

Ad eandem hanc speciem illa pertinent sex mihi quidem cognita cornuum in glande penis exempla, quae a viris doctissimis *Reghellini*, *Bonioli*, *Caldani*, *Fbers*, *Richond Desbrus* et *Breschet* observata sunt, quibus jam exemplum a *Froriepio* v. d. observatum, quod capite secundo est indicatum, adjungam. Illa autem exempla, quae posuimus, haec sunt.

*Reghellini*. Osservazioni supra alcuni casi rari medici e chirurgici. Venezia 1764. Ille secundum *Caldani* (Mem. della soc. italiana Tom. XVI. II. p. 128) hominis cujusdam membrum virile descripsit et unguis et cornibus redundans.

*Camilla Bonioli*, chirurgiae professor Patavinus, auctore *Caldani* l. c. in scholis suis commemoravit, vidisse se in cujusdam hominis pene unguam enatam.

*Florianus Caldani*. Mem. della Soc. italiana Tom. XVI. II. 1813. p. 124 sqq. Fusius disputavit de hoc exemplo. Antonio, inquit, Casagrande senex septuaginta quatuor annos natus ex septennio viduus, anno 1807. quum ante id tempus nunquam aegrotasset, vehementissimum in externa varicosi cruris dextri parte ardorem coepit sentire; quem locum quum scalperet, gravior insequuta est inflammatio et suppuratio deinceps in formam ulcerosam conversa. Quae ulcera per vices aut sanabantur aut redintegrabantur, donec anno 1809 plane sanata sunt. Exinde mense Octobri ejusdem anni molestiorem inter praeputium et glandem sensit pruritus. Cujus rei quae causa esset quum propter phimosis, qua inde a prima aetate laboraret, non explorare posset, sensum illum diuturno vehementiorique praeputii fricatu delenire conatus est. Quo facto singulum quemque sequimensem gravior quaedam ex ore praeputii sanguinis amissio sequebatur. Mense tandem Martio anni 1810 circa oris illius superficiem corpusculum natum est mollius glandi non dissimile et perquam sensibile, quod diebus paucis adauctum gravissimas aegroti molestias attulit; vestimenta enim quotiescunque eum locum attingerent, maximos in tumore illo excitabant dolores. Itaque Majo mense, quum omnes eodum chirurgi operam suam

frustra ad hominem adhibuissent curandum, a nosocomio Vincentino coepit opem petere. Jam vero quum propter os praeputii nimis coarctatum sedem tumoris explorare non possent, ipsum praeputium prorsus disciderunt. Tum comparuit tumor canceraticus, qui ex interiore parte praeputii et ab exigua glandis parte proficiscebatur. Totum igitur praeputium cum tumore illo circumcissione remotum est vulnusque unius mensis spatio ad cicatricem perductum. Sed tertio jam post factam operationem die in glandis vulnere prominentia quaedam in conspectum venit parvula ac subdura, quam quarto quintoque die ferro candenti attingere coeperunt. Quo facto disparuit illa quidem, sed deinceps die duodevicesimo duae nascebantur ex eo vulnere aliae prominentiae, quae et ipsae pluribus vicibus adurebantur. Die vigesimo quarto etiam accessit prominentia verrucosa, quae et ipsa ferro candenti deleta est, ita ut non multo post aegrotus nosocomium reliquerit. Attamen quinque diebus praeterlapsis in media cicatrice illa, ubi antea noduli exstincti fuerant, corpusculum album, callosum et insensibile prodiit, quod tam celeriter propagabatur, ut decem fere mensium spatio longitudinem duorum digitorum excederet, et, callosa haec luxuries quum, quo magis auferetur, eo magis in corneam fransiret substantiam, cornu praestaret in imam partem curvatum.

*Ebers*, quemadmodum contestatur *A. W. Otto* (Seltene Beobachtungen zur Anatomie, Physiologie und Pathologie gehörig, Heft I. Breslau 1816) in glande viri cujusdam cornu observavit solidum, idque subcurvatum et majus crassiusque quam illud, quod *Caldani* descripsit.

*Richond Desbrus*. Archives générales de Médecine. Tome XV. Paris 1827. p. 218 sqq. — Hoc prodidit exemplum. *Savel*, inquit, rusticus sexagenarius Puyanus praeter affectionem syphiliticam inflammatorium praeputii tumorem conceperat, quamobrem phimosis in eo operationem instituerunt. Sed inflammatio insequuta cum male curata transiisset in chronicam inflammationem, aegrotus ille vigesimo die Aprilis a. 1825 *Richondum Desbrus* convenit, carcinoma dicens in pene sibi ortum. Praeputium quidem bisulcum et tumidum in ore coactum erat et durum et fere cartilagineum; circa frenulum massa mollior et coagulata, albida luxurie oblecta. In utraque parte comparebat luxuries rubicunda, quae levissimo quoque motu percita sanguinem effundebat. Glans autem in hac massa luxuriante tanquam immersa obtegebatur nigra duraque crusta, quae aegre posset amoveri. Sub ea crusta glans in propriam quandam et singularem degenerarat telam, quae albo holoserico similis sic erat comparata, ut forcipe majuscula ejus frustra tollerentur, nulla subsequente sanguinis jactura. In basi glandis larga erat ac foetida ulceratio, nihil tamen doloris suberat; urinae missio nulla re impediabatur, neque omnino aliud quidquam molestiarum hominem tenebat, praeter ingentem circa os praeputii ambitum. Prae-

terea abscessus exstiterat in penis directione et circa inguina bubo gravior ac dolens. In cuius mali curatione ita versati sunt, ut degeneratum praeputium exstirparent et adurent, ac deinceps singulas partes degeneratas repetita vice exciderent. Atque hac quidem ratione factum erat, ut malum post menses duos omnino sanatum sit nec aliud quidquam remanserit, quam nodulus in media glande durus et luxurians, acus noduli magnitudinem referens, qui jam excidendus erat, cum homo ille, se dicens rediturum esse, nosocomium reliquit non reversurus. Sed quatuordecim diebus post quum malum istud denuo exarsisset, excisiones repetitae sunt. Iterum accidit, ut ille per trimestre spatium nosocomio careret. Eo quidem tempore ipsa glans adfecta erat, praeputium autem dolere coeperat buboque antea dissipatus rursus erat adauctus. Cultri usum metuens homo reliquit nosocomium, non adhibita operatione, et anno demum elapso rediit. Tum vero praeputium magnopere erat mutatum atque in glande cornu erat natum digitali diametro et duorum longitudine digitorum, quamquam ipse paucis ante diebus apicem quum impedimento esset cultello resecurat. Cornu ab externa parte durius erat quam ab interna, ubi massa ejus magis erat friabilis et porosa, media autem pars coaguli solidioris naturam imitabatur. Praeter cornu illud, quod crescere pergebat, nihil aliud inveniebatur degenerationis. Post tempus trimestre rediit inflammatio circa partes vicinas jam jamque id agebatur, ut membrum virile amputaretur; sed aegrotus nosocomium reliquit nec unquam postea reversus est.

*Breschet.* Dictionnaire de Médecine 2me Edit. Tome IX. Paris 1835 Art. Corneés productions. — Ejusmodi, inquit, cornea excrescentia etiam in locis nata vidi plane laevibus et depilibus, veluti in lingua, in membrana oculorum conjunctiva, nec diffiteor, me lamellas excidisse corneas, quae in senis cujusdam glande subnatae fuerant.

Jam ad haec exempla illud, quod *Fropiep*, vir doctissimus sesquianno abhinc exhibuit, adjiciendum est atque describendum.

---

## C A P U T II.

### EXPONITUR NOVUM CORNU PRAEPUTIALIS EXEMPLUM.

---

*Carolus Barleben*, homo operarius, quadraginta octo annos natus, maritus et plurium parens liberorum, idem valida corporis statura praeditus, nec ullo antea morbo adfectus, phimosis laborabat congenita. Praeterea balanitide forte exorta, interior praeputii lamella cum glande concreverat. Itaque biennio abhinc factum est, ut phimosis operatio institueretur praeputio in longitudinem inciso, laciniaeque residuae frustatim tolleren-

tur. Sed homo quum operationem perpessus valetudini suae male consuleret alteroque deinceps die gravius faceret opus hortulanum, usu venit, ut in incisionis partibus indurationes fierent nodosae crustis obiectae fuscis et crassioribus moxque adeo crescentes, ut brevi jam tempore totam occuparent glandem. Ita anno abhinc rursus operationem sustinuit, qua noduli illi a viro celeberrimo Dr. *Leinwebero* levi incisione arcuate sublati sunt; mox tamen iidem renascebantur aliquanto ampliores. Exinde anno 1834 vigesimo nono Martii die in nosocomium Caritatis receptus est. Ibi tum et, qui *Dieffenbachio* viro celeberrimo duce homines externis morbis laborantes curant, hanc ejus repperunt conditionem. Praeputium ultra tertiam glandis partem erat reductum; interior ejus lamella maxime sub imam partem (Fig. 1. c.) cum glande concreta; circa summam partem in media praeputii linea quatuor noduli erant duri pariterque tota praeputii ora obdurata. Neque tamen eae indurationes ad intimam telam pertinebant, sed in summa cutis lamella tanquam adglutinatae videbantur. Hoc indurationum genus canum est, crusta obiectum galbana circa angulos nonnullos semipellucida, fuscis distincta virgis, quae ex rariore secreto praeputii ad arescendum proclivi nasci videbatur, ita quidem, ut firmissime adhaereret insolentiorumque duritiem corneam praestaret. In utraque ejus parte (Fig. 1. b.) aspera et inaequalis patebat superficies; in media autem (Fig. 1. a.) squamatim quinque lineas prorsum eminebat. Sub interiorem partem illa superficies concava et laevis virgisque distincta, sub exteriorem concava et aspera comparebat (Tab. Fig. 1). Haec excrescentia cornea specillo pulsata clarum edebat sonitum lignis non dissimilem. Neque dolorem aegrotus loco illo adfecto sentiebat. Ceterum penis et reliqua praeputii pars plane sana videbatur, nec omnino valetudo hominis male erat comparata.

Itaque primum id agebatur, ut excrescentia illa, quae descripsimus, infuso Chamomillae diluerentur, quo secretio quidem in oris irritatis melior videbatur, evadere, ipsa autem excrescentia immutata manebant. Igitur vigesimo secundo die Junii induratae illae cutis partes cum excrescentiis corneis innatis sectionibus arcuatis tolli coeperant pariterque fomenta frigida admoveri, quae tamen, quum exigua esset reactionis vis sive inflammatio, triduo post jam commutata est cum fomentis infusi Chamomillae. Sed quum ita quoque locus incisionis remissior fieret atque inertior, aqua mercurialis nigra imponi coepit. Cum ne hac quidem ratione bona efficeretur granulatio, tandem ungt. praecipitati rubri applicabatur, quo tam larga granulatio excitabatur, ut jam lapide infernali coercenda esset.

Julio mense, die vigesimo tertio rursus circa exteriorem praeputii partem massa exstiterat cartilaginea, albida et dura, quae paulatim in naturam abire coeperat plane alienam in summaque praeputii ora massam praestare ungui tuberoso simillimam, quae pariter atque antea excisione sublata est. Ea cornea excrescentia, quae secunda operatione

remota sunt, Fig. 2. 3. 4. adumbrata sunt, iisque, qui porro quaesiverunt de hujus substantiae natura, inservierunt.

Quae secunda est operatione exstirpata excrescentia, non ut prior illa concava erat in fronte, sed testam corneam referebat curvam, sesquilineari fere crassitudine, in antica quidem parte convexam, sed nodosa superficie praeditam, in postica autem laevi et excavata superficie, ita ut in universum non dissimilis esset ungui, quocum praeterea ex cano fusci coloris et aridae in cute superficiei causa habebat similitudinem. At vero utriusque dissimilitudo confestim apparuit, simulac totum excrescens a summa ad imam partem discissum est. Jam in incisionis superficie, quae Fig. 4. naturalis, Fig. 5. quadruplo aucti ambitus praestatur, apparuit excrescens illud duplici quodam genere substantiae constare inter se diverso, hoc est, ex velamento quodam corneo superficiem vestiente (Fig. 5. a. a. a.) et ex massa centrali solida telaeque cellulosa indolem exhibente, quae plane structuram substantiae in cicatricibus usu venientis, et ipsam totius excrescentiae formam imitabatur. Haec massa ubique erat obducta coagmento corneo, excepta illa incisionis parte, quae in tabula dextrorsum pertinet. In antica parte eaque convexa coagmentum corneum paullo est crassius, quam in postica concava. Ipsum excrescens nihil habebat odoris; admoto autem igne particula substantiae tenuis primum extumescebat, deinde igne concepto exarsit flamma alte emicante; denique in forcipe massa quaedam resedit nigra fluens, quae summum digitum colore obducebat, fumidumque redolebat. Inter concremandum odor fundebatur a cornu adusto non alienus, quamquam diversus a crinium cineribus. Illa autem excrescentiae scindula antea a cicatricis massa fuerat soluta et exsiccata, unde fusca exstitit massa illa et dura. Aqua frigida paucis quidem diebus nullam omnino vim exhibuit in frustulum substantiae illius corneae, praeterquam quod cicatricis substantia cellulosa illi adhaerens tumebat seque minutim absolvi patiebatur. Cornea autem haec substantia ad octavum diem plane immutata mansit. Contra aliud ejus substantiae frustulum aluminis dissolutione resederat, idque primum quidem immutatum, deinde vero post octo menses tumidum et paene totum humore suffusum tanque molle, ut humore exagitato frustulum dilaberetur. Minutum ejus corneae substantiae frustulum quum tubulo vitreo insertum super lychni igniculo per horam coqueretur, nihil omnino mutationis expertum est, neque, illo exempto, quum humor evaporatus esset, quidquam residui factum est. Idem postea in spiritum vini rectif. conditum plane immutatum perduravit. Aliquo deinde tempore praeterlapso in acid. sulphuric. sensim extumuit tandemque circa superficiem frustulentum, in humorem transiit, qui ea re facile reddebatur lutulentus. Item in aliquod ejus excrescentiae frustulum kali carbonicum crudum nullam plane vim habebat.

Ulterius quidem de cornea hac substantia non inquisiverunt; sed ex hac tamen

quaestione, ut videtur, illud apparet, eam substantiam aliquantum a vero et normali cornu discrepare interque epidermidem et crinium substantiam esse positam videri, quum utriusque generis proprietates nonnullas praestaret. Simili quid *Dublanc* (Jour. de pharmacie Mars. 1830. — cf. *Bullet. des scienc. méd. de Ferussac* Tome XXIII. p. 2. sqq.) ea evicit quaestione, quam de pluribus cutaneis cornibus morboris instituerat.

---

### C A P U T III.

#### DISPUTATUR IN UNIVERSUM DE NATURA ET DIVISIONE CORNEARUM EXCRESCENTIARUM.

Postquam ingentem numerum earum de corneis excrescentiis commemoravimus observationum, quae certiore aliqua ratione ad nostram sunt perlata cognitionem earumque et externam et fortuitam distinximus formam, quippe aut luxuriam corneam non satis definitam, aut cornua accurate definita praebent; jam quaeritur, quae sit et qualis natura diversorum generum illorum et qua ratione propter tantam hanc diversitatem illa videantur dividenda.

Atque in universum quidem illud est notandum, omnes has luxuries corneas et cornua in ipsa tantummodo cute insidere neque osseos pro fundamento habere conos, quemadmodum bestiarum cornua. Haec humana cornua paria esse eademque cum bestiarum cornibus, imprimis negarunt *Lorry* (de morbis cutaneis, quae disputatio de latino facta est germanica ab Eb. Fr. Held. Leipz. 1779. Tom. II. p. 223. Anhang von den Hörnern, die in verschiedenen Theilen des menschlichen Körpers entstehen) et *Piccinelli* (Sull' origine e cura di quelle escrescenze impropriamente chiamate corna umane. Bergamo 1816); eaque opinio hodie ita omnibus improbatur, ut vel illa cornea excrescentia, quae cornibus arietinis simillima sunt, cornua cutanea vocentur. Quae definitio eo confirmatur, quod *Froriep* vir celeberrimus quaestionibus suis demonstravit, substantiae cornu praeputialis eandem, quam epidermidis esse rationem, illamque similiter coagmenta cuti secernenti parallela praestare. Reliqui auctores, quum cornua illa ex ipsa tantum cute pendere existimarent, plures eorum judicantes partes, quae potissimum ad procreanda cornea excrescentia valerent, alii aliter statuerunt. Alii \*) enim dicunt verrucosas quasdam

---

\*) *Sauvages*. Nosolog. methodica. Tom. III. pars II. p. 417. — *Joh. Plenck*. Doctrina de morbis cutaneis. Viennae 1776. p. 89. — *Lorry* l. c. p. 233. *Monteggia*. Istituzioni chirurgiche. III. p. 79.



productiones, alii \*) cutis augmenta, alii \*\*) productiones tumoris cystici, alii \*\*\*) sedem cornu esse in rete Malpighii, alii †) denique concretionem massae corneae epidermidi consimilem.

Jam vero quaerenti, quidnam sid illud, quod commune in diversis illis sententiis reperiatur, apparebit, irritationem quandam cutaneae superficiei sive in bona sive in mala valetudine exstare, qua plura epidermidis coagmenta exigantur, quam absumantur, ita ut nimium eorum ordines coacerventur. Id quod ubi fit, singularis quaedam vasculorum in aliqua cutis parte copia necessario invenitur, nec sane defuit in iis potissimum exemplis, in quibus cornua observata sunt. Ex iis enim observationibus, quae supra editae sunt elucet, cornua tantummodo nasci 1) *in cute antea sana*, si ea vel ictu vel impressione irritata fuerit, aut si quoddam dyscrasiae genus exstiterit; ubi enim dyscrasia locali aliqua affectione indicatur, affluxus sanguinis sequatur et vasculorum incrementum necesse est; 2) *in cutis partibus antea jam morboris*, veluti in planioribus verrucis cutaneis vel in nodulis cutaneis mollusco similibus, vel in eo tumoris cystisi genere, quod in cute folliculi sebacei obstructione natum esset, vel in superficiei cicatricum recentium. Ex his autem omnibus quidquid evenerit, etiam externa quaedam irritatio accesserit necesse est, sive ictus sit ille, sive impressio, sive, quae imprimis valet, lenior summarum partium irritatio continuata. In his quidem exemplis, quae postrema posuimus, singularem vasculorum in epidermidis parte frequentiam extare, vix est, quod fusius explicemus. Verrucas enim glabras et mollucas cutis esse partes maxime vasculosas, vel ex ipso earum patet colore, quo non irritatae insignes sunt; nam is solet magis esse fuscus, quam cutis circumposita, et plerumque sinit vascula sanguifera per tenuem epidermidem superdatam majora pellucere. Praeterea vegetatio in illis solet esse validissima, quae res ex eo apparet, quod in eorum superficiei pili tenuiores isti nudaе, quae vocatur, cutaneae superficiei semper fere crassiores longioresque nascuntur. Jam veri illi quidem tumores cystici productiones sunt spuriae, quibus nulla cum cutis superficiei intercedit ratio, ita ut cornua ex tu-

\*) *Lassus*. Pathol. chirurgicale Par. 1816. tom. I. p. 560. — *Monteggia* l. c. — *Caradori*. Osservazione fisiologica sopra due corna umane. Prato 1799. cf. *Wismayer's Ephemerid.* d. auslând. Liter. 1800. 3tes Heft 283.

\*\*) *Home*. Philosophical Transactions 1791. Vol. 81. p. 95. — *Piccinelli* l. c. p. 31. — *Meckel*. Archiv Bd. I. Heft 2. p. 301. id. Handb. der Pathol. Anatomie II. 2. p. 283. — *A. Cooper*. Chir. Abhandl. und Vers. II. p. 358. — *Ernst*. Dissert. de corneis humani corporis excrescentiis. Berol. 1819. p. 19.

\*\*\*) *Voigtel*. Handb. der pathol. Anat. I. p. 74.

†) *Willan*. Die Hautkrankheiten a. d. Engl. v. Friese. Bresl. 1803. II. p. 154. — *Portal*. Cours d'anat. medic. IV. p. 387. — *Schmidt*. Diss. de cutis morbis. Halae 1799. p. 20. — *Lorry* l. c. p. 233. — *Ernst* l. c. p. 17. — *Cruveilhier*. Anat. pathol. Livrais. VIIme. pl. 6.

more cystico nascentia communi isti, quam antea constituimus, conditioni adversa videri possint. Attamen hoc loco illud tantum monendum est, omnia cornua illa ex tumore cystico oriunda aut in capite, aut in cervicibus aut in dorso observata esse, itidemque *A. Cooperum* (Chirurgische Versuche Bd. II.) demonstrasse, id genus Atheromatum non veros esse tumores cysticos, sed folliculos sebaceos obturatos, materie sebacea nimis repletos. Hos quidem folliculos, qui recentiores quaesiverunt de cutis structura, probarunt, quasdam esse in cutis superficie depressiones, aliquo epidermidis velamento intus vestitas. Proinde in his quoque epidermidis secernens est superficies, quae retentione sebi videatur irritabilis ideoque ad epidermidem nimis augendam prona, quae res adventitia aliqua irritatione velut ictu etc. etiam adjuvatur. Postremo in cicatricibus illam, quam singulari conditione supra posuimus, insignem vasculorum in epidermidis secernente superficie frequentiam vel imprimis constare, non est profecto, cur uberius confirmemus.

Quae quum ita sint, facile apparet, perperam esse acturum, si quis cornua aut a verrucarum aut tumoris cystici aut vulnerationum genere repetere velit. Illae enim res omnes adventitias tantum causas exhibent natura et indole spuriae productionis plane immunes. Itaque praecipua in morbosa cornuum et in normali epidermidis formatione propriaque videtur causa esse *vasculosa cutis superficies*, sive illa de integro nata sit sive aliena jam degeneratione praeparata. Hanc ingentem vasculorum frequentiam auctamque illis secretionem epidermidis nimia sequitur materiae corneae concretio sive inspissatio, quae pro diversa partis secernentis forma varias diversasque formas externas induit ex ea lege, quam in introductione et huic concretionum generi et normali telae corneae posuimus.

Natura igitur et indoles cornuum, sive illa in aequa cutis superficie, sive in folliculis sive in membranis transitoriis reperiantur, in hoc potissimum posita est, ut insolentiores vasculorum telae in superficie gignantur fiatque concretio epidermidis materiae nimia secretionem exactae.

Quae cornea excrescentia ut sua quaeque loca in morborum descriptione nanciscantur, ponenda sunt;

in *classem* vitiosarum formationum (neoplasmatum);

in *ordinem* formationum concretionem vitiosarum;

in *genus* concretionum telae corneae.

Jam vero *specie* distinguuntur

1) corneae concretionem in locis non satis definitis: *luxuries cornea*;

a) ex cutis normalis irritatione;

b) ex irritatione cutis aliquo jam dyscrasiae genere affectae;

- 2) corneae concretiones in locis accurate definitis: *cornu cutaneum*;
- a) ex irritata conditione locorum cutaneorum palam positorum sive cutis nodulorum,
  - b) ex folliculis sebaceis,
  - c) ex cicatricibus.

---

## TABULAE EXPLICATIO.

---

- Fig. 1.** Exhibentur *cornua praeputialia* Caroli Barleben (p. 20.) an. 1834 die vigesimo quarto Martii mensis, quo tempore prima phimosis operatio instituta est.
- a) lamellae corneae in medio sitae squamatimque prorsum spectantes.
  - b) crustosa, aspera et aequa duraque velamenta cornea in extrema parte cicatricis, quae ablata superiore praeputii parte coacta fuerat.
  - c) Praeputii cum glandis superficie concretiones ex antegressa balanitide.
- Fig. 2.** Concretio cornea in frontem connexa unguique tuberoso non omnino dissimilis, quae 23. Jul., ablatis, quae Fig. 1. praestantur, excrescentiis, exstabat, quamque supra p. 22. diligentius descripsimus.
- Fig. 3.** Eadem illa concretio, qualis post secundam exstirpationem comparuit ab aversa parte adumbrata, ita ut concavam ejus partem introspici liceat.
- Fig. 4.** Dissectio illius massae corneae exstirpatae, quae Fig. 3. exhibetur.
- Fig. 5.** Aucta ejusdem adumbratio.
- a. a. a.) Tegumentum corneum, constans coagmentis corneis superficiei parallelis.
  - b) Cicatricis massa, cujus superficiei lamellae corneae insident.
-

---

## V I T A.

---

**E**go *Radulphus Fawsett Ainsworth* confessioni evangelicae addictus, natus sum Mancunii anno hujus saeculi decimo tertio patre *Jacobo*, medico practico, matre *Elisabetha*, e gente *Fawsett*. Primis litterarum elementis privata institutione imbutus, gymnasium Mancuniense adii et post quadriennium maturitatis testimonio instructus reliqui. Deinde ad Germaniam profectus, praecipuas ejus civitates frequentavi et post biennium in patriam reversus ad medicinae et chirurgiae studia animum attuli.

Uti mos fert in patria, per tres annos in pharmacopolis artem pharmaceuticam factitavi Mancunii, et in instituto medico ejusdem civitatis his scholis interfui: de anatomia, physiologia et pathologia, quoque demonstrationibus anatomicis, de materia medica, botanice, pharmacia, chemia et chemia analytica, porro de pathologia et therapia, simul clinicen medicam adii. Frequentavi deinde lectiones de chirurgia et akiurgia, clinicen chirurgicam bis, scholas de medicina forensi, et arte obstetricia, quo facto iterum clinicae, medicae et chirurgicae practicando interfui.

Postremo ammanuensis munera in nosocomio pauperum Mancuniensi per aliquot annos gessi. Tum Berolinum me contuli, ubi a Re-

ctore magnifico *Ill. Steffens* civibus academicis adscriptus et apud spectabilissimum *Busch* t. t. Decanum, nomen professus hos viros *Ill. disserentes* audivi: *Ill. Mueller* de zootomia, physiologia et de generatione; *Ill. Mitscherlich* de chemia experimentalis; clinicen chirurgicam *Ill. de Graefe* nec non clinicen *Ill. Rust*; clinicen medicam *Ill. Bartels*, clinicen opthalmiatricam *Ill. Juengken*, et scholas *Cel. Dieffenbach* de praecipuis operationibus chirurgicis frequentavi.

Tentamine medico et examine rigoroso absolutis, nec non dissertatione thesibusque defensis, fore, spero, ut summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

---

## THESES DEFENDENDAE.

---

1. Nullum est certum signum, quod discrimen poneret inter dyspepsiam et gastritidem chronicam.
  2. Hydrops tantum symptoma morbi.
  3. In dignoscendis pectoris morbis usus stethoscopii necessarius.
  4. Efficacissimum remedium antisiphiliticum est mercurius.
-